



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De custodia Sacramenti Eucharisti[a]e notæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

VIII. Qua oratione finita ad altaris cornu (ne sacramen-
to terga vertat) se recipiat, eosque qui Christi corpus susce-
perunt, hortetur, ne statim è templo recedant, sed de tanto
munere Deo gratias agant, in oratione perseuerent, moref-
que & vitam eo pacto instituant, vt fructus, quos ex sacra-
mento perceperunt, perpetuo conseruent. Deinde tre-
mendo sacramento in manus reuerenter accepto, presenti
populo solennem benedictionem impertiat his verbis:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, (hic
signum crucis sacra pyxide exprimat) ✠,
& Filij ✠, & Spiritus ✠ sancti, descendat su-
per vos, & maneat semper, Amen.

IX. Demum in tabernaculum ea, qua par est, reuerentia
lumine præeunte inferat.

DE CVSTODIA SACRA- menti Eucharistiæ.

I.

Eucharistia
pro infir-
mis asser-
uanda.
Concil. Trid.
sess. 13. c. 6.



Vod Patres Concilij Tridentini præcipiunt, vt sa-
lutaris, & necessarius mos sacrosanctæ Eucharis-
tiæ in vsum infirmorum asseruandæ à maioribus
accèptus retineatur, id sibi Parochi dictum putabunt, ac
diligenter obseruabunt, vt ne huius rei neglectu quisquam
fidelium sine viuifico viatico ex vita excedat.

Taberna-
culū quale
esse debeat
Concil. Pro-
vinc. anno
1556 part. 7.
cap. 16.

II. Tabernaculum, in quo Eucharistia custoditur, fir-
mum, mundum, & quàm potest fieri honorificentissimè
foris, & intus ornatum esse debet, nec non lampade per-
petuò ardente collustratum, vt existimationē tanto sacra-
mento

mento dignam conciliet, & populi prætereuntis deuotionem excitet.

III. Clauis tabernaculi non penes ædituum, sed Pastorem eiusq; Vicarium esse conuenit, vt ne qua sanctissimo sacramento iniuria irrogetur per homines superstitiosos.

Clauis tabernaculi custodia.

IV. Parochum cuius incuria id acciderit, canones tres menses ab officio suspendunt. Maiore verò poena afficiunt, si enormis sacramento iniuria illata inueniatur.

V. Vasa omnia, quibus vel ad ostendendum, vel ad deportandum, aut custodiendum sacramentum vtimur munda & nitida esse debent, eandemque aurea vel argentea, aut eburnea, nisi forte Ecclesiæ paupertas stannea permittat.

Vasa in quibus asseruatur Euchar. qualia esse debeant.

Stat. Sifridi pag. 40.

VI. De pyxide illud præterea obseruandum, vt operculum aptè illi respondeat, & fibula firmiter sit clausa, ne qua vermibus ingressus in eam pateat.

Pyxis qualis.

VII. Quod si ob neglectum illius aliqua particularum consecratarum à vermibus corrosa inueniatur, speciebus adhuc integris existentibus diligenter purganda, sumendaque erit, vermis autem viuus repertus supra patenam comburendus, & cineres sub altari condendi.

In diuersis casib. quid Parocho agendum. Stat. Sifridi pag. 40.

VIII. Idem faciendum cum hostia per vomitum reiecta, si citra horrorem & nauseam sumi nequeat. Auctor autem facti tam indigni pro personæ, & delicti qualitate poenitentia à sacris canonibus constituta puniendus erit.

IX. Et ne hostiæ pro infirmis in sacrario asseruatae temporis diuturnitate corrumpantur, post mensem aut

De hostijs, ne putrescant, renouandis.

Stat. Sifridi
pag. 41.

summum duos menses veteres à sacerdote hauſto ſacro calice ante ablutionem conſumantur, deinde nouæ recentefque in earum locum ſubſtituantur.

X. Quod ſi Paſtorum negligentia aliquę computruerint, non ſunt illæ communicantibus porrigendæ, ſed cum reliquijs tantisper in ſacrario reſeruandæ, donec Ordinarius, quid de ijs faciendum ſit, decreuerit.

DE INFIRMIS VISITANDIS, & ſalutari Eucharistiæ ſacramento muniendis.

Infirmorum
uifitando
rum necel-
ſitas.



Ametſi malignus ſpiritus omni tempore vitæ ſalutiq; mortalium inſidiatur, nullum tamē eſt, quo maiore furore atq; conatu in noſtram perniciem incumbat, quam quo nobis ex hac vita migrandum eſſe videt. Neque enim ignorat mortem eſſe momentum à quo æternitas pendet. Quamobrem ſi vnquam aliàs, tum vel hoc maximè tempore Paſtorū eorundemq; Coadiutorum ergo ouiculas ſibi commiſſas charitas elucere debet, vt eas ſalutaribus ſacramentis, atque monitis contra inſidiantis lupi rabiem inſtructas ad Chriſtum Paſtorum omnium principem tranſmittant.

Stat. Sifridi
c. 7 pag. 4.
Paſtores
quorū infir-
mum mo-
nere debēt

II. Quàm primùm igitur Paſtor reſciuerit ſuorū aliquem ex infirmitate decumbere non exſpectabit, donec vocetur ſed capta occasione illum pro officio adibit, de rebus ad ſalutem æternam cōſequendam pertinentibus ſuauius monabit, atq; hortabitur, vt omnē ſpem ſuam in Deo collocatā habeat, qui vt Pater amantiffimus vult, & vt omnipotēs poteſt